



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Bona malis nocere, mala bonis prodesse, atque hoc pacto bona fieri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

quitur, ut omnes seculi plaga nobis, si forte in admonitionem, vobis in castigationem, à Deo obuoniant. Atqui nos nullo modo ledimur: inprimis quia nihil nostra refert, in hoc auro, nisi de eo, quàm celeriter, excedere. Dehinc, quia si quid aduersi infligitur, vestris meritis deputatur. Sed etsi aliqua nos quoque perstringunt, ut vobis coherentes; latamur magis, recognitione diuinarum prædicationum, confirmantium scilicet fiduciam & fidem spei nostræ. Sunt enim quasi arrha, aut diuinæ amicitie symbolum, quæcunque nos inuitant, immo, tanquam calcaria, incitant, ut ad melioris vitæ brauium alacrius decurramus.

Non igitur mala sunt, quæ mala vulgò censentur, nisi malis; quibus ipsa bona nocent, non tamen idcirco in malis numeranda. Vis videre, quo modo bona malis noceant? Aristotelem audi. *Ut homo, inquit, perfectionem nactus, animantium est optimus; sic cum à lege iustitiæq; discessit, omnium pessimus habetur: importunissima est enim armata iniustitia. At homo prudentia & virtute (hoc est, solertia in rebus agendis, & potestate operandi) armatus est à natura, quibus maxime potest in res contrarias uti. Itaque, impie nefarius, atque immanissimus, absque virtute, (vera & morali) sit & in venerem, & gulam turpissimus. Quis ingenium acre, rem malam vocet, quia eo malè vititur Sinon, aut Vlysses? In se bona, bona semper manent, nisi sine, & vsu contagium trahant: non tamen idcirco nomen mutant. Quare neque illa debent malorum nomine damnari, quæ sine & vsu sunt optima: neque ea bona nimium adorari, quæ, cum scopo & vsu soleant pessimos facere, tamen sunt in summa, apud mortales, æstimatione, & ferè sola bona nominari consueuerunt. Si tamen, etiam in his ipsis bonis dignoscendis, non errant. Quemadmodum enim in speculis, quæ dextera sunt, sinistra; & quæ sinistra, dextera apparent; & nauigantibus rates stare, litto-
ra ambulare videntur: ita ijs, qui peruerso sunt iudicio, mens vertigine titubat, & amantis DEI beneficia titulo malorum infamat. Quidquid à DEO est, bonum est, quia ipse bonus: si quid malum esse incipit, à nobis incipit bonis malè vtentibus. Paupertatem, inopiam, matrimonium rixosum, morbos, mortem, mala vocas? In-
iuriam facis: non enim sunt mala, quæ faciunt bonos, aut malis nos eripiunt. Repete veteres memorias, & inuenies plures, quos egestas ad moderationem, conuicia ad patientiam, inualetudo ad fru-*

VI
III.

Aristot. lib. I.
Polit. cap. 2.

genera

gem reduxit. In tuummet sinum inspicere, & cogitare, quoties te angustia, cura, dolores refrænârint in præcipitia ruentem? quoties ad DEVM aegerint trepidantem. An illa mala esse arbitraris, à quibus, à vitæ licentia, fuisti retractus, & ductus ad salutis fontem? Noli ergo, malorum nomine, res tibi tam bonas deuenustare. Quis agricola, sarculum, aratrum, stiuam, mala vocat? Sunt tamen illa laboris instrumentum, & fatigant illum. At sine illis, vt non ferit, ita nec metit.

IV.

Fortunæ mancipia nominum ludibrijs pascuntur, &, inter summa bona, nominant res nocituras. Qui mente carent, apud eos fulgor externus primas partes agit. Charius illis est plumbum auratum, quàm plumbò inclusum aurum. Mundus suspicit captos cupiditatibus Reges, qui, catenatæ instar simiæ, in purpura circumducuntur. Communis hic est error: perfunctoriè pretia æstimantur, & pluris fit, quod apparet, quàm quod est in recessu. Ideo & gemmæ negliguntur, quando non sunt politæ, vt splendeant. Longè alia essent iudicia, si, detractis laruis, quæ latent, inspicerentur; nemo adoraret Charetis pollicitationes; nemo crucis thesauros contemneret, qui profanis oculis non ostenduntur, si lynx esset; immò nisi talpa esset. Nam multi *oculos habent, & non vident*, quid vel Mundus, vel DEVS condat.

Psal. 113. 13.

V.

Plato in
Conuiuio.
Erasm. Chil.
3. Cent. 3.

Alcibiades, apud Platonem, Socratis encomium dicturus, eum Silenis similem facit, quòd is multò alius esset propius intuenti, quàm summo habitu specieque videretur. Quem, si de summa, quod dici solet, cute quis æstimasset, non emisset asse. Facies erat rusticana; taurinus aspectus; nares simæ, mucòque plenæ. Sannionem quempiam, bardum, ac stupidum dixisset. Cultus neglectus, sermo simplex ac plebeius, & humilis, vt qui semper aurigas, cerdones, fullones, & fabros haberet in ore. Nam hinc ferè sumebat illas suas inductiones, quibus vrgebat in disputando. Fortunæ tenuis vxor, qualem ne vilissimus quidem carbonarius ducere posset. Videbatur ineptus ad omnia Reipublicæ munia; adeò, vt, quodam die, nescio quid, apud populum, adorsus agere, cum risu sit explosus. Denique iocus ille perpetuus nonnullam habebat morionis speciem. Cùm, ea tempestate, ad insaniam vsque, ferueret, inter stultos, profitendi sapientiam ambitio, nec vnus esset

Gorgias